



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Repetitio Clem. I. Ut Clericorum De Officio Ordinarii

Aufréri, Étienne

Leodii, 1702

24. Fallentia,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63069](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63069)

24. Fallentia,

24. fallit, in clerico pro debito regio capto & Ecclesiae remisso, quo casu iudex temporalis potest inhiberi iudice ecclesiastico ne habeat ipsum relaxare, nisi soluto debito. Alioquin habebitur recursus contra iudicem, & ita cavetur in concordatis inter officarios utriusque potestatis Tholosae factis, pro quo plura reperiuntur arresta. Et quando clericus est debitor ex delicto vel quasi ut quia fuit in emendam condemnatus pro crimine privilegiato, pro quo *l. quicumque C. de ser. fugi. & l. fin. ff. de in jus vo.* Si enim non habet unde solvat. luere debet in corpore.

Ad idem *Bald. Antho. Sicut. & prapo. in cap. dilectis, de app.* qui ibidem no. ex illo tex. clericum posse detineri in vinculis per superiorem suum donec satisfaciat de delicto, licet actum sit civiliter, & etiam si opus esset posset ob hanc causam torqueri, & utrumque probatur *in capit. 1. de deposi. & facit cap. si clericos de sen. excom. lib. 6.* Et idem videretur si esset debitor ratione talliarum vel collectarum, quia cum in hoc casu non possit cedere bonis secundum *Bald. in l. propter honorem. C. de his qui bon. ce. pos.* & idem *Salic. ibidem*, sic videretur quod possit huiusmodi occasione clericus detineri *Are. no. in l. nemo. & l. quotiens C. de exact. tribu. lib. 10. & per Cy. & Salice. in l. 1. C. de his qui bon. ce. pos. & per Ioan. Fa. & Angel. insti. de actio. in §. si. & per Ioan. de Pla. in allegat. 1. nemo. per Hosti. in summa de solu. & regula. de cessi. bon.*

Sed majus videtur etiam dubium in debitore

tributatio, quia talis carcerari non debet, ut in *allegat. l. nemo.* bene tamen potest sub fida custodia detineri, quæ omnia loquuntur in laico, & non in clerico, sed quicquid sit de jure etiam in Clerico servatur in præsentī civitate, super quo vide quæ scripsi supra in secundæ regulæ. 27. fallentia.

Quinimmo fructus decimales & alii quicunque ex rebus spiritualibus provenientes quotidie pro debitis Regis ac privatorum capiuntur & explicantur, quia per illos qui habent administrationem in titulum tales fructus possunt alienare & obligare, ut tenet *Ioan. Faber. institut. de actio. in §. Item Serviana. & Rota. deci. 331. in antiquis ubi vide.* Et per *Sicul. in cap. pervenit de fidejusso.* licet de rigore juris istud non procederet indistincte, ut plenius scripsi in *addi. ad questio. Cappella 314.* Adde hic quæ scripsi supra in *primæ regulæ fallentia 12. circa fin. & in secundæ regulæ fallent. 18. & fallentia. 20. & 23. & hujus quartæ regulæ fallent. 19. & Guido Papæ quest. 208.*

25 Fallentia.

Vigesimoquinto fallit in datione tutoris pupillo Clerico, quia licet clericus non sit de jurisdictione sua, nihilominus dabit ei tutorem & ita servatur, pro quo *fa. l. consulta. C. de testam. & no. per Bald. in l. repetita C. de Episcopi. & Cle.* Nam datio tutoris nedum personam respicit, sed etiam patrimonium, de quo iudex temporalis præsertim de immobilibus se potest intromittere ut satis superius deductum est, & per *Oldra. consil. 17.* licet contrarium teneant *Ioan. Fab. & Angel. Arot. insti. de*